

rectorem vigore etiam immemorabilis consuetudinis, quam ex testibus et relatione Emi Archiepiscopi resultare affirmant. Ex hac autem consuetudine praesumptionem desumi cujuscumque tituli inductivam, *Rot.* coram Coicim. decis. 425. num. 5, coram Buratt. decis. 692, num. 6, et coram Cerro decis. 402. num. 2. Hinc praesumendum aliquam quoad tempus praeteritum intercessisse conventionem injunctamque obligationem pro retentione SSmi Sacramenti; maxime quia ex actis Visitationum eruitur, onus adjectum fuisse rectori sacramenta poenitentiae et Eucharistiae populo administrandi.

Observant insuper, indultum sump- tibus communitatis Massiniani fuisse impetratum, neque idcirco populum privari posse commodo atque utilitate ex eo dimanante; nec modo posse a rectore in controversiam revocari, cum jam fuerit exequutum, *Spad.* cons. 52. num. 8. tom. 2., *Rot.* dec. 14. num. 7 part. 16. Recent.

Rector Ecclesiae SS. Felicis et Audacti nihil hactenus deduxit. Caeterum Sacramentum in Ecclesia retinet, oleum pro lampade praebet, Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae per capellanos administrat et jurium parochialium exercitium paroco Massiniani non impedit.

Nota sunt, quae de retinendo SSmo Eucharistiae Sacramento in Ecclesiis sacri canones disponunt. Ponderandum itaque in facto, quod ex actis visitationis anni 1669 resultat, asservatum in Ecclesia SS. Felicis et Audacti fuisse SSnum. Eucharistiae Sacramentum: Idque ipse desumitur ex visitatione anni 1687, ex qua insuper deprehenditur unum ex capellanis teneri administrare populo Sacramentum poenitentiae et quotidie in Ecclesia celebrare, alterum vero, qui sacristiae munere fungitur, obstructum

esse singulis festis diebus de praeepto ad sacrificii celebrationem et applicationem.

Ex iisdem quoque Visitationibus habetur, parochum castri Massiniani, in cujus districtu memorata ecclesia sita est, functiones omnes parochiales occasione funerum exercuisse eoque impedito illas a Capellanis Ecclesiae fuisse peractas; et hoc etiam colligitur ex visitatione anni 1695 atque ex altera anni 1699, in qua ulterius injunctum legitur Capellanis onus docendi Fidei rudimenta rusticis societatis s. Isidori. Eadem repetuntur ex Visitatione annorum 1711 et 1715, atque in aliis, quae gestae fuerunt annis 1722 et 1728, mandatum deprehenditur utriusque capellano ut Sacramenta poenitentiae et Eucharistiae populo administraret.

Praeter haec habendae pro oculis sunt partitae extractae ex libris defunctorum parochialis Ecclesiae Massiniani nec non testium depositiones, quae inter monumenta causae recensentur, ut omnibus mature perpensis Emi PP. definiant:

I. *An constet de obreptione vel obreptione brevis seu indulti apostolici concedentis facultatem retinendi in Ecclesia SS. Felicis et Audacti SSnum Eucharistiae Sacramentum in casu? Et quatenus negative;*

II. *An rector et Capellani cogi possint ad retinendum in dicta Ecclesia augustissimum Sacramentum in casu?*

III. *An rector et capellani dictae Ecclesiae teneantur subministrare oleum pro lampade ante idem SSnum Sacramentum ardente in casu?*

S. C. resp.: Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative et amplius.

Ad III. Affirmative quoad rectorem et amplius.

Die 18. Julii et 8. Aug. 1772.

*Ad dub.:* In permultis Ecclesiis filial. in pagis et vicis, qui partim saltem longe distant a parochiis vel etiam in montanis siti sunt ac interdum a numerosa plebe incoluntur, ex consuetudine tantum vel licentia Ordinarii, non vero, in quantum quidem constat, ap. ad id indulto obtento SSnum perpetuo asservatur, quin tamen sacerdos ibidem habitet vel missa in hujusmodi Ecclesiis quotidie celebretur. Queritur ergo:

1) An haec consuetudo tolerari possit? et quum in praesentia quoque licentiam ad hoc peti contingat,

2) Utrum pro Ecclesiis hujusmodi vere filial. in circumstantiis praedictis licentia asservandi SSnum ab Ordinario concedi valeat; an etiam in istis casibus necessario recurrendum sit ad s. Sedem ap.? S. R. C. resp.: Quoad primam quaestionem: Usus non esse tolerandum; quoad secundam: negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 7. Maii 1857 dub. XII. *Limburg.*

*Clemens PP. XIII.*

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis clericorum regularium Congregationis Somaschae, quod, cum in Academia nobilium nuncupatorum civitatis Venetiarum, a clericis regularibus Congregationis praedictae dirigi solita, propria privata capella decenter ornata ab omnibus ejusdem Academiae mansionibus separata reperiat, in ea tamen SS. Eucharistiae Sacramentum non asservatur. Ac propterea facultatem asservandi in capella hujusmodi praedictum SS. Eucharistiae Sacramentum pro commoditate adolescentium in Academia hujusmodi pro tempore commorantium eisque inservientium per Nos concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut

sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in dicta cappella privata Academiae hujusmodi, dummodo decenter ornata sacrisque suppellectilibus instructa sit, SS. Eucharistiae Sacramentum cum mantentione lampadis semper accensae asservari possit, facultatem auctoritate Apostolica concedimus et impertimur. Ita tamen, ut clavis Ciborii custodiatur per aliquem Presbyterum ipsorum clericorum regularium, a rectore vel superiore dictae Academiae pro tempore existenti deputandum, ut juxta apostolica indulta dictae Congregationi impertita omnibus et singulis sive clericis regularibus Congregationis praedictae sive adolescentibus in eadem Academia commorantibus sive Academiae hujusmodi actu inservientibus praedictum Eucharistiae Sacramentum etiam per modum viatici quocumque tempore absque aliquo censurarum vel poenarum incursu et impune, citra tamen praepudicium jurium parochialium, ministrari libere et licite possit et valeat.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Romae die 19. Apr. 1745.

(Bull. r. Contin. t. III. p. 63 Ed. Rom. 1841.)

*Pius PP. VII.*

Pro parte sodalitates seu pie unionis dilectarum in Christo filiarum matronarum ministrantium infirmis pauperibus hospitalibus s. Mariae de Gratia



Caesaraugustanae civitatis expositum nuper est Nobis, quod ipsae actae zelo inflammandi corda infirmorum erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum, illud in hospitalis ejusdem oratorio totis diebus Domini redemptoris et Beatae Mariae virginis ejus matris principalibus festis exponi facere posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus quatenus constituto tibi de narratis, eisdem exponentibus, ut ipsae per cunctos praedictos dies in memorato oratorio, dummodo illud satis ad id idoneum et ornatum sacrisque suppellectilibus necessariis instructum cognoveris, augustissimum Eucharistiae Sacramentum exponi, proviso tamen, quod expositio ea semper, quae par est, juxta Ecclesiae leges ac regulas, decencia, reverentia et assistentia fiat, libere ac licite facere possint et valeant, licentiam et facultatem, perpetuis etiam futuris temporibus duraturam, auctoritate Nostra Apostolica pro tuo arbitrio et conscientia concedas atque indulgeas.

Datum Romae die 25. Juni 1802.

(Bull. r. Continuatio t. XI. p. 354.)

*Pius PP. VII.*

*V. Fr. Patriarchae Indiarum Capellano majori exercituum regis cath.*

Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii officiales piae Congregationis, quae Matrili in regali capella regis catholici sub vulgari nomine dell Allumbrado y Vela adunatur ac fraternitatis tuae

jurisdictioni subicitur, quod Congregatio hujusmodi praecipue fuit instituta pro adoratione continua eucharistici sacramenti in tabernaculis asservati, quodque ad sacramenti ejusdem honorem et cultum sacrae ab ea magnisque solemnibus celebrantur functiones: quae quidem ut fidelium devotionem quam maxime adaugeant, ipsi exponentes SS. Eucharistiam a die 30. Apr. ad diem usque 9. Maii mox subsequentis quotannis venerationi publicae exponi quae die ac nocte per id temporis retineri aequae ac in nonnullis aliis, uti asserunt, fieri solet Hispaniae locis, facere posse summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constituto tibi de narratis ac dummodo dicta in capella rerum omnium, quae ad id opus sunt, copia existat, eisdem exponentibus, ut per singulos annos incipiendo a die 30. mensis Aprilis, praevia, juxta Ecclesiae morem, solemnibus missae celebratione, augustissimum Eucharistiae Sacramentum in eadem capella publice exponi ac deinde, servata in reliquis forma et dispositione pro hujusmodi expositionibus in rituali Romano praescripta, illud diu nocturne sic expositum jugiter custodiri, nec tandem recondi nisi die nona mensis Maii proxime subsequentis, libere ac licite facere possint et valeant, licentiam et facultatem perpetuo valituram, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium pro tuo arbitrio et prudentia gratis impertiaris.

Datum Romae die 8. Maii 1803.

(Bull. r. Continuatio t. XI. p. 461.)

*Leo PP. XII.*

Nostrum est, qui universae catholicae Ecclesiae ex arcano divinae providentiae consilio praesidemus, animarum saluti pro viribus omnimode providere, ut quo quis facilius eo et alacrius pietatis opera praestet.

Quum igitur ad Spoleti urbem, quam tot nominibus insignem non possumus non habere carissimam, in ea enim majores Nostri domicilium sibi comparaverunt, rus habeamus, cui nomen „dei Casini“ opportunum sane duximus earum aedium sacellum Deiparae virginis et divo Francisco de Paula dicatum nonnullis privilegiis ornare. Quae propter auctoritate Nobis a Domino tradita concedimus et indulgemus, ut inibi super ara decenter ornata per quemcunque sacerdotem a venerabili fratre Archiepiscopo Spoleti probatum *singulis diebus praecipua etiam per annum solemnitate sacris eucharistica hostia possit immolari*, ita ut quicumque diebus festis pietate illa, qua decet, incruento ibidem sacrificio intersit, *ab obligatione solvatur eidem publico in templo assistendi, et Ecclesiae praecepto satisfecisse ducatur*. Praeterea eadem potestate Nostra facultatem facimus, cujus ope in sacello, de quo habita est mentio, sacra suppellectile instructo, *SS. asservare sacramentum liceat, dummodo ibi unum quotidie fiat sacrum, ac ante tabernaculum, in quo divina tegitur hostia, diu nocturne lampas alatur*, itemque ejus tabernaculi clavis maneat penes sacristam sive aedituum, qui fida illam custodia tueatur.

Haec concedimus atque indulgemus sartis tectisque parochi juribus ac non obstantibus apostolicis et in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationi-

bus, caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 5. Maii 1826.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 423.)

*Gregorius PP. XVI.*

*V.: Fr. Ep. Mutinensi.*

Cum nullum christianae non modo verum civili etiam reipublicae majus meliusve munus afferri possit, quam ut juvenus recte diligenterque doceatur atque ad omnem praesertim virtutem et pietatem mature informetur, tum nihil Nobis potius nihilque optabilius quam religiosae ejusdem juventutis institutioni omni cura et studio prospicere, hisce potissimum moribus atque temporibus, quibus adeo prolapsa, ut omnium opibus vel maxime sit excitanda atque inflammanda ad Dei timorem et scientiam Domini amplectendam atque intelligendam justitiam et judicium, aequitatem et omnem semitam bonam. Quamobrem alacri libentique animo piis eorum votis annuere solemus, qui juvenibus optime educandis provide scienterque operam navantes, ea a Nobis efflagitant, quae ad ipsorum juvenum religionem fovendam ac teneros eorum animos ad Dei cultum omneque pietatis sensum ac christianas exercitationes fingendos summopere pertinent.

Hac sane mente dilectus filius collegii Societatis Jesu Mutinae moderator spirituali illorum juvenum bono et utilitati magis magisque consulere exoptans, qui in convictu, uti vocant, patrum ejusdem Societatis ac civitatis degentes, ab iis erudiuntur, supplex ad Nos confugit ac vehementer exoravit, ex Nostra indulgentia facultatem facere velimus, cujus ope in domestico ejusdem convictus sacello sanctissimum Eucharistiae Sacramentum



perpetuo asservari liceat, quo juvenes ipsi praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari animi devotione et amore prosequi assuescant. Addit praeterea suis in votis esse apostolica auctoritate muniri, cujus vi juvenes ejusdem convictus aliique omnes, qui ibi inserviunt vel morantur, sacram synaxin commemorato in sacello peragere possint et omnibus per annum festis diebus etiam solemnioribus tam juvenes praedicti quam alii, de quibus habita mentio est, cum sacrosancto missae sacrificio eodem in sacello adstant, ecclesiasticum praeceptum implevisse censeantur.

Nos igitur, qui paterno ac sollicito studio rectam juvenum institutionem procurandam Deique gloriam amplificandam et animarum salutem augendam, prout pastoralis officii Nostri ratio postulat, spectare debemus, oratorem aliosque omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra Apostolica gratis omnino petitam facultatem tribuas, cujus praesidio augustissimum Eucharistiae Sacramentum commemorato in domestico sacello convictus patrum societatis Jesu istius Mutinensis civitatis libere liciteque perpetuo asservetur, dummodo pro dignitate sit exornatum nec absit ab ea sacra suppellex praesertim ad id necessaria. Eadem autem auctoritate Nostra tibi committimus, ut potestatem perpetuo tribuas, qua juvenes ejusdem convictus aliique omnes eidem addicti ibique morantes, postquam contractas animi sordes per sacram confessionem expliandas curarint, caelesti pane sese recreare eodem in sacello possint et tam juvenes praedicti quam alii, de quibus sermo est, cum festis per annum diebus etiam solemnioribus missae sacro in praedicto sacello ad-

*sint, ecclesiasticum praeceptum implevisse censeantur.*

Haec tamen omnia ullo absque parochialium jurium detrimento concessa volumus. Mandamus vero, ante tabernaculum, quo SS. Sacramentum de more continetur, diu noctuque lampas continenter fulgeat atque ejusdem tabernaculi clavis maneat penes sacristam, qui fida illam custodia tueatur.

Datum Romae die 19. Apr. 1833.  
(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 221.)

#### 13) Locus.

Vd.: SS. Sac. euch. (altare.)

*Honorius PP. III. Archiep. et Episcopis Hiberniae.*

Cum olim vas aureum manna plenum Christi corpus, deitatem continens, praefigurans in arca foederis auro tecta infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili servaretur, dolemus plurimum et tristamur, quod in provinciis sacerdotes sanctiones canonicas immo divinum iudicium contemnentes, sanctam Eucharistiam incaute custodiunt et imunde et indevote tractant, quasi creatorem timeant vel recreatorem diligant aut iudicem omnium expavescant: quamquam apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiae contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaicae, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de caetero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte praecipiendo mandamus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari, mundo etiam et signato, semper honorifice collocata devote ac fideliter conservetur.

Die 19. Novbr. 1219.

(Bull. r. t. III. p. 336. Ed. Aug. Taur. 1858.)

#### 14) Modus ass. et sese gerendi cor. SS.

Vd.: Lampas; Tabernaculum.

Ut Deo optimo maximo, gloriosae virgini et sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. praedecessoris Nostri constitutionem innovantes ac statuta in Tridentino Concilio\*) observari volentes statuimus et ordinamus, ut ad ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant et omnes genibus flexis SS. Sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi domini nostri cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in Ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat, cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes iudiciorum, et alia quaecumque, quae divinum officium perturbare possunt. Nullus intra ecclesias deambulare audeat sive praesumat, dum celebrantur s. missarum mysteria et alia divina officia.

Qui in suis ecclesiis, dum ibi sacrificium Misae et divina celebrantur officia aut verbum Dei praedicatur, deambulare, vociferari aut verso tergo ad SS. Sacramentum irreverenter sedere, aut aliquid quod scandalum generet aut divina perturbet officia facere praesumpserit, praefatos omnes in ecclesiis delinquentes admoneant et ut in eis vetita fieri non permittant.

S. Pius PP. V. Confrat. „Cum Primum“  
1. Apr. 1566.

Ex mandato Pontificis moneantur generales seu quicumque alii superiores quarumcumque religionum, quod in futurum magis decorari omnino faciant luminibus, paramentis aliisque ornamentis altare, in quo asservatur SS.

\*) Sess. XXII. Decret. de observand. et vitand. in celebr. Missae.

Decreta authentica. Tom. III.

Eucharistiae Sacramentum, quam alia in quibus conduntur corpora, reliquiae aut imagines Sanctorum.

S. R. C. 7. Decbr. 1630.

*Paulus PP. III. ad Confratern.  
SS. Corp. Chr. Romae.*

Confratres procurent, ut SS. Sacrament. tam in dicta Minerva quam in aliis singulis parochial. ecclesiis Urbis ea qua decet veneratione in loco honorifico et honesto lampadibus accensis die noctuque conservaretur et custodiretur.

Die 30. Novbr. 1539.

(Bull. r. t. VI. p. 275. Ed. Aug. Taur. 1860.)

#### SSmae Eucharistiae.

SS. D. N. sub die 25. Novembris 1630 jussit mihi secretario ut deducam ad notitiam Emmorum Patrum eius voluntatem, quae est, quod nomine Congregationis literis per me moneantur generales seu quicumque alii superiores quarumcumque religionum, quod in futurum magis decorari omnino faciant luminibus, paramentis aliisque ornamentis altare, in quo asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, quam alia, in quibus conduntur corpora, reliquiae aut imagines Sanctorum. Et Emmi DD. mandarunt mihi secretario, ut exequar mandatum Sanctitatis Suae.

Die 7. Decbr. 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 224.)

#### 15) Modus non licitus.

Cf.: Lampas; Tabernaculum; Reliquae; Pyxis.

In Ecclesia regalis Monasterii s. Laurentii excurialensis adest in altari majore tabernaculum ex lapide pretioso, in quo continetur alia capsula eximior,



in qua asservatur SS. Sacramentum, sed cum in pariete post tabernaculum sit una fenestra, quae illuminat duo tabernacula praedicta et ista habeant ante et retro fenestellas cum cristallo taliter, quod ex qualibet parte ecclesiae videatur clare et distincte vas, in quo est inclusum SS. Sacramentum, et cum hoc videatur inconueniens, quaeritur: Utrum praedictum vas debeat permanere, ut dictum est supra, vel debeat cooperiri aliquo velo, ut non videatur? S. C. resp. negat ad primam partem, affirm. ad secundam, atque ita obtegendum esse tabernaculum, ut vas, in quo SS. Sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri possit.

Die 20. Septbr. 1806.

Tollatur abusus tundendi vel etiam miscendi s. Olea, ac iterum coquendi vel alias exsicandi species Sacramenti Eucharistiae Fer. V. Coena Dom., ut deinde illud asservent.

*Epist. Bened. XIV. ad Italo-Graecos Presbyt.*

Die 26. Maii 1742.

(Bull. r. t. XVI. p. 97.)

In nonnullis Belgii Ecclesiis et Oratoriis SS. Sacramentum non in medio altaris, verum aut in dextera aut laeva pariete in custodia servari eodem modo, quo s. Olea recondi solent.

S. R. C. resp.: S. C. Sanctitatis Suae nomine omnino prohibet SS. Sacramentum alio in loco servari praeter quam in tabernaculo in medio altaris posito.

Romae die 21. Aug. 1863.

C. Ep. Port. et s. Rufinae card. Patrizi. S. R. C. Praef.

#### 16) In Oratorio collegii.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (ass. in eccles. non par.)  
„In Ecclesia tantum domus Bellicen. ejusdem instituti Congreg. fratrum s. familiae asservari valet augustissimum

Eucharistiae Sacramentum, dummodo altare et tabernaculum iudicio Ordinarii sit decenter ornatum, ita tamen ut sacrae particulae qualibet hebdomada renoventur, lampas diu noctuque luceat, clavis ipsius tabernaculi penes sacerdotem diligenter custodiatur ibique sacrum quotidie peragatur, et salva sint jura parochialia. Quod vero spectat ad expositionem SS. Sacramenti recurrendum erit ad Ordinarios locorum; fratres igitur memorati institui super praemissis nonnisi indulto in hoc decreto uti poterunt et non aliter, nec ullo alio modo. Contrariis etc.“

Die 21. Febr. 1851.

(Anal. J. P. 1861 p. 88.)

#### Senen.

Vd.: t. III. p. 493. n. 3.

Supplicante P. Joanne Ambrosio Centione Societatis Jesu rectore nobilis Collegii de Tholomeis civitatis Senensis pro concessione, ut in capella dicti collegii possit infra annum retineri SS. Sacramentum et illud exponere per aliquam horam diei occasione, qua illi equites ibi educati faciunt exercitia spiritualia, ut in supplici libello etc. S. Rituum Congregatio remisit arbitrio et prudentiae Rmi Archiepiscopi.

Die 21. Augusti 1688.

(Anal. J. P. 1865 p. 1298 n. 2358.)

#### Panormitana.

Supplicante Josepho Silvestri canonico cathedralis Panormitanae ecclesiae et rectore seminarii civitatis ejusdem apud s. Rituum Congregationem pro indulto ad instar oratorii tyrocini Societatis Jesu asservandi in tabernaculo SS. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia s. Barbarae ejusdem seminarii, attenta qualitate praedictae ecclesiae nonnullis gratis exornatae et numero commorantium. Eadem s. Congr. in dorso sup-

plicis libelli *Ordinario pro sua prudentia* rescribendum esse censuit.

Die 22. Jan. 1689 et 22. Jan. 1695.

(*Ibid.* p. 1304 n. 2383 et p. 1351 n. 2556.)

#### Alcala de Henares.

Religiosi ordinis SS. Trinitatis redemptionis captivorum de Alcala de Henares exponentes religiosos studentes in eadem religione ad hoc ut remoti ab omni strepitu hominum et civitatis, sacrae theologiae et sacrarum scripturarum lectionibus liberius vacare possint, morari extra ipsam civitatem in loco ab ambitu distante per tria miliaria s. Joannis de Vitu nuncupato, ibique habere habitationem undique muris circumdatam cum capella satis decenter ornata, in qua supplicarunt pro licentia retinendi et asservandi SS. Eucharistiae Sacramentum pro studentibus religiosis ibi viventibus; et s. Congregatio concessit, arbitrio Episcopi.

Die 16. Novbr. 1630.

(Anal. J. P. 1863 p. 224.)

#### Pius PP. IX. ad Congreg. Oratorii.

„Asservandi indultum erit ad decennium in ecclesiis seu oratoriis tan piae Congregationis quam seminariorum, quae presbyteris Congregationis curae concredita fuerint, SS. Sacramentum, de consensu tamen Ordinarium, dummodo in illis adsit tabernaculum decenter ornatum, lampas semper accensa diu noctuque colluceat et SS. Missae sacrificium quotidie celebretur; clavis autem tabernaculi ab aliquo sacerdote custodiatur.

Datum Romae ex secretaria s. Congregationis Episcoporum et Regularium die 22. Martii 1864.“

(Anal. J. P. 1864 p. 764.)

#### 17) In Oratorio domestico.

Urbis.

Ducissa Piani degens in terra Gesualdi petiit licentiam retinendi in suo palatio SS. Sacramentum stante quod pro nimio frigore et imbribus hiemalibus nonnisi difficulter potest accedere ad parochialem, allegans super hoc consensum Episcopi Avellini, intra cujus fines terra posita est, necnon consensum curati terrae. Et sacra Congregatio respondit: *Nihil.*

Die 10. Februarii 1629.

(Anal. J. P. 1863 p. 210.)

Vd.: *Orator. priv. t. III. pag. 492 n. 2. Communio frequ.*

Declarat S. C. SS. Sacramentum non posse neque debere retineri in privatis oratoriis, nisi summorum pontificum privilegia adsint.

S. C. 2. Octbr. 1677.

(Anal. J. P. 1864 p. 818.)

#### 18) A plurib. saeculis jam consecrati SS. Sacramenti.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (Asservatio in Ecclesiis et Claustris Monial. etc. de: *Granaten. §. Aliud* etc.)

#### 19) In Parasceve.

In fer. VI. in Parasceve parochus, dum e domo infirmorum redit cum Sacramento, non debet hoc recondere in publica Ecclesia.

S. R. C. 15. Maii 1745.

#### 20) Tempus.

SS. Sacramentum pro communione fidelium retinendum esse etiam durante processione Corp. Chr. reclusum in suo tabernaculo. n. 2417 ad 2. die 13. Aug. 1667.

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (renovatio) *Ritus Graec.* (t. III. pag. 294. §. 6.)



## V. Benedictio.

## 1) Modus.

Vd.: *Bened. cum SSmo; Cantus cor. exp. SSmo.*

*Ex decret. Conc. prov. Prag. diei 23. Sept. 1860.*

Consuetudinem passim vigentem impertiendi benedictionem cum SS. statim ac decantata fuerint hymni „Pange lingua“ verba „Sit et benedictio“, ceu sacrae liturgiae adversantem reprobamus, praecipientes, ut in posterum decantato per populum hymno praefato celebrans orationem „Deus qui nobis sub Sacramento“ praemissa videlicet competenti versiculo cum responsorio, persolvat, moxque populo benedictionem SS., utique nil dicens, impertiat.

Praecipimus quoque, ut in iis celebrandis ecclesiarum rectores stricte sequantur ritum a sacra liturgia praescriptum; hinc meminerint, semel tantum cum SS. Sacramento benedictionem impertiendam esse fidelibus et quidem sine processione exceptis Feriis V. et VI. majoris hebdomadae, quibus a benedictione danda prorsus abstinendum est.

Morem toties benedicendi populo, quoties absolutis hymni, qui decantari solet, partibus pausatur ceu abusum eliminandum esse praecipimus salvo utique ritu in processione theophorica a Rituali praescripto.

## 2) Populi extra portam post commun. infirmorum.

*Ab dub.:* Utrum servari possit consuetudo benedicendi cum SSmo retrocedentem populum extra portas civitatis, regionis sive domus infirmi etc., quando fertur viaticum agrariis, et quatenus nisi de speciali gratia id liceret, pro parte Rmi Episcopi supplicatur ad illam gratiam obtinendam,

prout in una Massae et Populoniae 7. Aprilis 1832.

*Resp.:* In delatione viatici SS. Corporis D. N. J. C. rituale romanum tit. „De communione infirmorum“ describens quae paranda sunt praevidet quidem casum *quo longius aut difficilius iter sit faciendum*. Et tunc unam tantum ait particulam consecratam ponendam esse in pixide seu parva custodia, nihil vero in eo reperitur de benedictione, de qua in dubio. Hinc factum est ut sacra haec Congregatio, licet existimaret jure et stricte servandam esse dispositionem ritualis romani, tamen omnibus mature diligenterque examinatis *ex speciali gratia servari posse consuetudinem*, quae verbis ipsis nostri dubii allegabatur, in una Massae et Populoniae, responderet die 7 Aprilis 1832. Interroganti itaque episcopo N.... utrum ex consuetudine servari possit, et supplicanti ut saltem id liceat de speciali gratia, rescribendum putarem, si vobis placet: affirmative pro gratia, attentis expositis.“

S. C. resp.: Affirmative pro gratia, attentis expositis.

Die 12. Septbr. 1857.

(Anal. J. P. 1858 p. 347.)

## 3) In portando a tabernaculo ad altare et viceversa.

Benedictio cum SSmo dari nequit iterum in tabernaculo, quando ab altari expositionis data benedictione ad illud deferatur, ut recondetur.

Die 23. Maii 1835.

## VI. Capite tecto vel detecto.

Vd.: *Biretum; Pileolum; concio cor. SSmo; SS. Sacram. Euch. (detectio etc.)*

Massalubren.

Perlectis in S. R. C. literis episcopi Massalubren, in quibus narravit, in

ecclesiis suae dioecesis abusum invalescere, nonnullos cives, doctores et mercatores capillamentum gestare solitos ut plurimum absque eis ad ecclesias accedentes cum pileolo albo lineo eoque SSmum Eucharistiae Sacramentum etiam in actu elevationis tecto capite salutare et adorare; quod aegre ferens, pro opportuno remedio idem orator supplicavit. Et s. eadem Congregatio ordinario pro sua prudentia respondendum censuit.

Die 18. Decbr. 1694.

(Anal. J. P. 1865 p. 1350 n. 2548.)

## VII. A. Celebrante deferatur.

Cf.: *Dignitas; Velum SSmi; Processio (Dignitas celebr.); Instructio Clem. §. XXI. n. 10; Processio SS. Corp. Chr.; SS. Sacrament. (Delatio), Parasceve (Processio.)*

Servandam esse dispositionem libri Caerem., ut scilicet SS. Sacramentum a Celebrante propriis manibus deferatur, non obstante quavis contraria consuetudine, quam abusum esse. n. 558. die 2. Junii 1618; n. 4485 die 14. Maii 1803.

In die festo Corp. Chr. SS. Sacramentum deferatur a Celebrante. In vespere autem octavae deferatur ab eo, qui facit officium vesperearum, modo sit Dignitas aut Canonicus. (Caerem., Festum SS. Corp. Chr. c. XXXIII) n. 687 ad die 12. Junii 1627.

Nulla modo permittendum, SS. Sacramentum deferri super humeros, sed deferendum esse manibus celebrantis juxta Caer., non obstante quacunque contraria consuetudine, quam abusum esse et omnino tollendam. n. 931 die 2. Aug. 1631; n. 1078 die 24. Julii 1638.

SS. Sacramentum non nisi manibus celebrantis de mane deferendum et consuetudinem deferendi illud fer. VI. Parasceve de sero vel etiam de mane

in quadam bara per 4 sacerdotes nullo modo permittendam sed esse abusum omnino tollendum. n. 951. die 13. Mart. 1632.

Cum post Missae sacrificium SS. Sacramentum processionaliter deferendum est, id peragi debere a celebrante. n. 1604 die 20. Febr. 1649.

Episcopus non potest in processione corp. Chr. in *sella portatili* degens deferre SS. Sacramentum. n. 1659 die 18. Jan. 1653; n. 3807 ad 3 die 4. Maii 1709.

SS. Sacramentum in processione in festo SS. corp. Chr. deferri debet ab eo, qui missam celebrat. n. 3802 ad 4 die 23. Mart. 1709. — Idem servandum est in processione, quae fit in die dominica infra oct. Corp. Chr. *Jbid.* ad 5. Intangibile est jus celebrantis in solemnitate Corp. Chr. semper deferendi SSmum in publica supplicatione. n. 4861 ad 1 die 3. Aug. 1839.

*Deferens SSmum Pluviale habere debet; vd.: Instructio Clem. §. XXI. n. 7; Pluviale.*

## Triventin.

Precibus Rmi Triventin. Epis. requirentis: an tollerare possit vel eliminare teneatur invectam in sua dioecesi consuetudinem, ut in una eadem que supplicatione SSma Eucharistia deferatur per plures Sacerdotes, qui sibi invicem succedant? Emus et Rmus D. Card. Carolus Maria Pedi Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius et S. R. C. praefectus, vigore facultatum sibi specialiter a SSmo D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribendum censuit: „Consuetudinem tanquam abusum eliminandam.“ n. 4926. die 22. Maii 1841.

In process. SSmi Fer. VI. Parasceve *Episcopus assistens* SSmum ab altari